



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. DIONYSII || CARTHVSIANI, DE || DOCTRINA ET REGV-||lis  
vitae Christianæ**

**Dionysius <der Kartäuser>**

**Coloniae, 1577**

**VD16 D 1959**

De mundi contemptu exemplo Christi. 15.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60177](#)

328 D. DIONYS. CARTH.

vnuſquisque id faciat, nec excusare  
debet quispiam à perfectionis statu  
aggrediendo, dummodo aliter ido-  
neus fuerit. Porro si tu religionem in-  
traueris, nunquid ob hoc mundus de-  
ſicit? Nunquid propter te derelin-  
quetur terra, aut transferentur rupes  
de loco suo? Sapientissimi ergo con-  
ſiliarij, qui est magni conſilij angelus,  
ac quiesce conſilijs, ut teipſum ab in-  
finitis periculis excutere possis, viam  
que compendiosiorem, tutiorem, &  
tranquillorēm, ac magis meritoriam  
ambulare, donec gaudium Domini  
Dei tui merearis intrare.

*De mundi contemptu, exemplo  
christi. Articul. XV.*

*Ioan. 8.*

*Bernar.*

**L**ucutus est Iesus, Ego sum lux  
mundi. Qui sequitur me, non  
ambulat in tenebris, sed habebit  
lumen vitæ. Quemadmodum Leo  
papa scitissime aſſerit. Tota victoria  
ſaluatoris qua & diabolum superauit  
& mundum, humilitate est concepta,  
humilitate confecta. Christus insuper  
ſicut ait Bernardus, in omnibus ide-  
legit

DE ARCTA VIA SAL. 329

legit, quod carni molestius est, & quod  
humilitatem magis prætendit. Nam  
& pauperem matrem elegit, de qua  
medio hyemis, medio noctis, alieno  
in loco, vili in stabulo, voluit nasci;  
Natus quoque inuolutus est pannis,  
& in præsepio inclinatus. Insuper cum  
esset diues & superditissimus ceu ve-  
rus summus, omnipotens Deus: pro-  
pter nos factus est pauper, & adeo paup-  
per. vt dicat: Volutres cœli nidos ha-  
bent, & vulpes foveas: filius autem  
hominis, non habet ubi caput suum  
reclinet. Quantas vero à Iudea is pas-  
sus est persecutiones, euangelistæ te-  
stantur. Iam siquidem dixerunt ei: Iohann. 10.  
dæmonium habet & insanit, homo  
vorax, potator vini, amicus publica-  
norum. In principe dæmoniorum ej-  
cit dæmones. Non est hic homo à Deo:  
& nos scimus, quia hic homo peccator  
est. Nunquid interficiet semetipsum.  
Iam volebat eum præcipitare, iam la- Iohann. 8.  
pidare, tandem turpisima eum mor-  
te peremerunt. Sed quid in omnibus  
his egit innocens Dei agnus, filius pa-  
tris æterni? Pacientiam habuit, reddi-  
dit bonæ pro malis, verbum salutis lo-  
quebatur ingratibus, pro crucifixoribus  
exorauit,

530 D. DIONYS. CARTH.

exorauit, tanquam ouis ad occasio-  
nem ductus est, & tanquam agnus co-  
ram tendente obmutuit. Coram Pila-  
to insuper & Herode falsissime accu-  
satus, nihil respondit. Factus est Deo  
patri obediens usque ad mortem. Se-  
ipsum dedit pro nobis oblationem  
& hostiam. Vulneratus est propter  
peccata nostra, eatenusq; in cruce di-  
stentus, diris clavis confixus ut dinu-  
merarentur omnia eius ossa. Sicque  
oportuit Christū pati, & intrare glorii-  
atū suam. Quid ergo nobis incumbit  
si viri Christiani, & de numero saluā-  
dorum esse optamus & nisi ut Christi  
paupertatē vtcunq; eius humilitatē,  
pacientiam, charitatem sectemur, pro-  
prium corpus per opera pœnitentiæ  
castigemus, carnem nostram cum  
vitijs & concupiscentijs crucifigamus,  
arctam viam cum solicitudine & ti-  
more incedere festinemus, non vin-  
camur à malo, sed malum in bono  
vincamus, nulli malum pro malo red-  
damus, non in delitijs miserabilē car-  
nem nostram alamus, nulli leuitati,  
vanitati aut iocis locum præste-  
mus? Quod qui egerit mundū feliciter  
spicit, seipsum laudabiliter vincit, di-  
scitque

*Ezai. 14.  
Marc 15.*

*Psal. 21.*

*Luc. 24.*

H  
sio-  
co-  
ila-  
ccu-  
Deo-  
Se-  
em-  
ter-  
di-  
au-  
que-  
ri-  
bit-  
iā-  
isti-  
ē,  
o-  
iā-  
m-  
is,  
ri-  
n-  
no-  
d-  
r-  
a-  
e-  
i-  
c-  
DE ARCTA VIA SAL. 331

scitque à Christo, quod mitis est & humilis corde. Præ omnibus quippe oportet, ut tota conuersatio nostra in vera humilitate fundetur. Propter quod Leo papa sapientissimè loquitur. Tota inquietus Christianæ sapientiæ disciplina non in sapientia verbi, non in astutia disputādi, neq; in appetitu laudis & gloriæ, sed in vera & voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Iesus ab utero matris usque ad supplicium crucis pro omni fortitudine, & elegit & docuit. Ex his constare opinor, quā verum sit quod ait Cyprianus, Tota vita hominis Christiani, si secundum euangelium vivat, crux est atque martyrium. Et itidem veraciter dicit Chrysost. Christianus nemo recte dicitur, nisi qui Christo moribus conformatur. Itaq; mi dilecte si Iesum Christum saluatorem nostrum esse cognoscimus ac Dominum, erubescamus ei nō conformari. Verecundemur delicate, molliter, atq; carnaliter vivere, humanis fauore & laude gaudere, propria commoda querere, vano superboue corde incedere. Vita nostra media est inter vitā angelorum & pecorum. Si secundum

Cyprianus.

Chrysost.

dum carnem vivimus, bestijs compa-  
ramur. Si secundum spiritum, angelis  
sociamur. Quod si spiritualibus vitis  
subiacemus, elationi, ambitioni, va-  
næ gloriæ, vanitati nefariae, non iā-  
brutis, sed dæmonibus copulamur,  
præsertim cum spiritualia vitia, lo-

**Christianus** quendo in genere, carnalibus sint vi-  
tis grauiora. Vis scire quis vere Christi-  
**Augustinus** stianus dicatur? Augustinum, audi di-  
citem. Ille vere Christianus est, qui  
omnibus facit misericordiam, qui  
nulla mouetur iniuria, qui alienum  
dolorem sentit ut proprium, cuius  
mensam nullus pauper ignorat, qui  
coram hominibus inglorius habetur,  
ut coram Deo & angelis glorietur,  
qui terrena contemnit, ut possit habe-  
re cœlestia, qui miseris succurrit &  
condollet, alienisque fletibus ad flet-  
um mouetur. Itaque emundemus  
nos ab omni inquinamento carnis &  
spiritus, & Christum regem nostrum  
per vitam timoratam ac fructuosam  
viriliter imitemur. Omnem iram, in-  
dignationem, animositatem, carnali-  
tatem penitus detestantes, quatenus  
conuersti efficiamur ut paruuli.

De